



2b. 15



2.  
7

LEGES  
COMMUNIS

MENSÆ

IN

ACADEMIA

FRANCOFURTANA

*Ad mandatum*

Serenissimi Electoris

Brandenburgici, &c.

PUBLICATÆ

A

SENATU EJUSDEM ACADEMIÆ

Sub initium

ANNI à CHRISTO NATO

CL. IO. CXX.

Literis

FRIDERICI HARTMANNI.

LECTUR  
COMMUNIS

MEVS

ACADEMIA

FRANCOPOLITANA

ANNO

SECUNDI MENSIS

SEPTEMBRIS

PHILIPPO

SEPTIMO MENSIS

SEPTEMBRIS

ANNO CHRISTI MDCCLXX

MDCCXX

FRIEDERICI HARTMANNI





**OS DEI GRA-**  
**TIA JOHANNES-**  
**SIGISMUNDUS**  
Marchio Brande-  
burgicus, Sacri Ro-  
mani Imperij Ar-  
chiCamerarius & Elector, Prussiae, Ju-  
liae, Chiviae, Montium, Sedinorum, Po-  
meranorum, Cassubiorum, VVan-  
dalorum, nec non in Silesia Crosnae &  
Carnoviae Dux, Burggravius Nuring-  
bergensis, Princeps Rugiae, Comes  
Marcae & Ravenspergi, Dominus Ra-  
vensteinii, notum, vigore praesen-  
tium, facimus omnibus & singu-  
lis, quotquot praesentia Statuta vel  
lecturi ipsimet sunt, vel ab aliis legi re-  
citarive audiverint: quod coram nobis

A 2 com-

comparuerint, Viri Reverendi, clari,  
doctique consiliarij & dilecti, fidelesq;  
nostri, Rector, Magistri, Doctores &  
Professores in Academia nostra quæ  
Francofurti ad Viadrum est, publicè  
constituti: quodque nobis inibi obtu-  
lerint nonnulla Statuta in usum utilita-  
temque prædictæ Academiæ nostræ,  
maximè verò eorum Studiosorum, qui  
publicæ mensæ beneficio fruuntur,  
conscripta, qua par erat reverentia &  
submissione petentes, ut hisce confir-  
matione nostra robur adderemus. Quæ  
Statuta, de verbo ad verbum, ve-  
luti nunc sequitur, habue-  
runt.

I. Bene-

# I.

Beneficium Illustrissimi Electoris petitori, Magnificum Dominum Rectorem adeunto: suam indigentiam sub juramenti fide profitentor: Testimonia honesta Magistratum, sub quibus oriundi sunt, aut Præceptorum vel Academiarum, ubi vixere, offerunto: nullâ publicâ ignominia ullibi notati sunt: Domino Examinatori suos in literis profectus approbanto.

# II.

Religionem veram, secundum scripturas Canonicas in Augustanâ confessione repetitam, amplectuntor: pietatem Christianam colunt: honestatem amant: vitam totam moribus liberalibus excolunt.

# III.

Sacræ Theologiæ plerique operam danto: duas minimum lectiones publicas singulis diebus audiunt: apud Decanum ejus, cui se quisque addixerint, facultatis nomina sua profitentor: Eidem, quoties postulârit: Rectori autem & Professoribus cæteris quovis semestri sese sistunt, rationem vitæ ac studiorum reddunt: Id qui recusarint,

rint, à mensa, citra omnem dispensationem, re-  
moventor.

IV.

Quos Decanus & Senior Theologicae Facul-  
tatis idoneos aetate, doctrina & moribus esse cen-  
suerint, ad habendas publicè conciones, soli ad-  
mittuntor, iisdem frequenter sese exercento: ad  
functiones Ecclesiasticas præparanto.

V.

Quos Decanus cujusque Facultatis non-  
dum eos in literis profectus fecisse judicavit, ut  
sibiipsis norma esse possint, ii privatos Præcepto-  
res, morum & studiorum gubernatores deligun-  
to, eorumque opera & consilio in exercitiis scri-  
bendi, disputandi, lectiones repetendi utuntor.

VI.

Solennes & publicos actus, ut Rectoris no-  
vi electionem, legum recitationem & promo-  
tiones, quas vocant, publicas item Doctorum &  
Magistrorum disputationes ne negligunto: à  
principio usque ad finem, non in limine, sed in-  
tus in auditorio diligenter auscultanto.

VII.

In habitationibus ad Universitatem perti-  
nentibus



mentibus imprimis tamen, si in Collegio locus est, habitanto: In resignatione verò habitationis, quæ mensis spatio terminum locationis debet præcedere, res à Quæstore sibi traditas cum Inventario, & unà cum locario Quæstori restituunt

### VIII.

Domino Inspectori mensæ communis reverentiam, obedientiam & honorem, qui Præceptori debetur, semper & ubique exhibent: ejus reprehensionibus & monitionibus ne utiquam obmurmuranto, sed modestè auscultanto & diligenter obsequuntor: denique nec verbis eum, nec factis, nec gestibus, nec ulla alia ratione offendunt.

### IX.

Pro introitu & loci confirmatione dimidium Joachimicum fisco Academico, sex argenteos Rectori, sex item argenteos Inspectori numerant: Aliàs nihil cuiquam homini pro introitu aut quocunque alio nomine vel prætextu exigenti ullo tempore aut loco expendunt: Si quid expenderit, ipsi duplo, qui exegerint, singuli quadruplo, aut carcere vel etiam Relegatione multantor: Qui ejus rei conscius fuerit & Re-

cto

tori, præsertim rogatus, non indicârit, ejusdem  
culpæ damnâs esto.

**X.**

Oeconomo singulis diebus Sabbathi quin-  
que argenteos in sequentem septimanam nume-  
ranto: Qui solutionem distulerit, ejus nomen ac  
debitum Oeconomus schedæ inscriptum cœna-  
culi columnæ appendito: Qui intra mensem  
non solverit, aut qui schedam diripuerit, ipso fa-  
cto locum amittito.

**XI.**

Pro unius diei aut bidui absentia Oecono-  
mo nihil in solutione detrahunto: nec ultra bi-  
duum, illo &Inspectore insciis absunto: Si fa-  
xint, pro integrâ septimanâ solvunto. Qui ultra  
septimanam iis insciis abfuerit, locum amittito.

**XII.**

Ad prandium diebus singulis horâ decimâ,  
nisi disputationes publicæ habeantur, ad cœnam  
autem horâ quintâ inferioris horologii auditâ,  
veniunto: ultra quadrantem horæ ne absunto:  
Cibo denique adposito, portæ cœnobii claudun-  
tor, nec quicquam ab Oeconomo, qui seriùs ve-  
nerint, exigunto.

**XIII. Nullos**

### XIII.

Nullos secum vel suos, vel alienos famulos adducunto: nullos gladios vel ipsi in cœnobium, aut atrium ejus deferunto, vel à famulis deferri patiuntor sub pœna remotionis à mensa.

### XIV.

Locum ab Inspectore designatum modestè occupanto: donec cibus apponatur, tacitè expectanto: quadras vel orbes ne concutiunto: turbas, clamores vel strepitus ne excitanto, sub pœnâ arbitrariâ,

### XV.

Cibo apposito, prandia & cœnas ab invocatione divina incipiunto, gratiarum actione claudunto: Inter precandum ne confabulantor, multò minùs strepitu ullo sibilantium, screantium, ridentium, explodentium, publicas ad DEUM preces turbanto: Si quis autem tam projectæ impietatis fuerit, eum, ceu omni Christiano cœtu indignum, à mensa quidem confestim Inspector removeto; Deinde ex hac Academiâ relegari fas esto.

### XVI.

Esculentis mediocriter & mundè apparatis contenti sũnto: iis frugaliter vescuntor: lautitias

B

ne

ne expetunto: panem ne decrustanto: nec panem,  
nec carnes sub pœna Joachimici aut remotionis  
secum deportanto: nemini absenti, Inspectore &  
Oeconomo insciis, quicquam mittunto: nihil de-  
nique in fraudem Oeconomi admittunto.

XVII.

Si quæ minus rectè apparata aut percocta  
fuerint, Inspectori modeste indicanto: Cum Oe-  
conomo ejusque famulis ipsi ne litiganto: neque  
in Oeconomum ejusque familiam ullum sibi im-  
perium aut licentiam sumunto.

XVIII.

Mensalia, quoad fieri poterit, integra & mun-  
da conservanto: nihil frangunto: orbes ne con-  
scindunto, nevé terebranto aut perforanto: da-  
mnum datum præstanto.

XIX.

Suum quisque poculum habento, & vel secum  
afferunto, vel famulis Oeconomi asservandum  
eludendumque tradunto: pro hoc officio (quem-  
admodum & Oeconomi famulo cibum appor-  
tanti) in mundinarum feriis munusculum in pa-  
tellam conjiciunto.

XX.

Lectorem, ubi quis iterum constitutus fue-  
rit

rit, attentè audiunto, & debitam ei mercedem ju-  
sto tempore exsolvunto: Eo cessante aut absente,  
de rebus honestis atque utilibus, latino potissi-  
mum, ut Studiosos decet, sermone, placidè confe-  
runt: Omnem verborum scurrilitatem, clamo-  
res, cachinnos, convitia, rixas, tum alibi semper,  
tum maximè in mensa fugiunto, sub pœna arbi-  
trariâ.

### XXI.

Ebrii ad mensam ne veniunto: vomitione  
cœnobium ne conspurcanto, ne vè alia fœditate  
inquinanto, sub pœna remotionis à mensa.

### XXII.

Convivas adducturi, ab Oecono-  
mo prius, ut acceptâ pecuniâ seorsim cibum ipsis præbeat,  
impetranto: nec nisi honestos & studiorum ordi-  
ni decoros, minimè verò remotos aut Relegatos,  
aut alioqui sordidos homines adducunto: neve  
eos ultra consuetum prandii aut cœnæ tempus in  
cœnobio detinento, sub pœna arbitrariâ.

### XXIII.

Nullas unquam in cœnobio compotationes,  
minimè omnium diebus festis, instituunto, sub  
pœna remotionis aut etiam relegationis: neque  
usquam alibi quemquam ad potandum aut con-  
vivandum.

vivandum quoquo modo adigunto: imprimis vero poculum gratulatorium, quod vocant, nemini deinceps offerunto aut obtrudunto, sub poenâ gravissimâ.

XXIV.

Pastores nullam convocationem, nisi præsentem & causæ necessitatem & gravitatem approbante Inspectore instituunto: nunquam catervatim, sed duobus tantum aut trib. Inspectori adjunctis Magnificum Dominum Rectorem adeunto.

XXV.

Leges sancienti, multas à se invicem exigendi, aut quicquam deniq; in quenquam decernendi, nullam sibi potestatem deinceps arroganto, sub poena remotionis perpetuæ, aut etiam relegationis. Si quid adversus bonos mores in mēsa peccatum fuerit, multam Inspector definito: atq; hæc tres argenteos nunquam excedito: Si quod gravius delictum fuerit, Rectori indicato.

XXVI.

Nocturnis discursationibus, clamoribus, boastibus, contumeliosis actionibus aut scriptionibus, clandestinis item conventiculis, conspirationibus, factionibus, omnibus denique, quæ in communibus Academiae Statutis prohibentur, flagitiis,

tiis, sub pœna ibidem expressa, præ cæteris abstinento.

XXVII.

Sacri Ministerii reverentiam ex antiquo & pio more, consuetis Ecclesiæ festivitibus, munusculo, quo poterunt, ad aram pastori oblato, quibus pietas cordi est, testentur.

XXVIII.

Beneficio mensæ communis ultra quadriennium fruendi nemini fas esto: Tot annos in perceptione qui fuerit, ei semestre, si opus sit, adjiciatur, ut functionem quærendi habeat spatium.

XXIX.

Domum proficiscentes aut aliàs peregrè abeuntes, Rectori causam profectionis exponunto: & ultra quatuor septimanas ne absunto: quod si fecerint locum amittant, & post præfinitum illud tempus redeuntes, beneficium hoc denuò petant.

XXX.

Hæc Statuta & omnia deinceps, ad dignitatem, utilitatem & tranquillitatem Communitatis statuenda sese observaturos, sub juramento, antea Magnifico Domino Rectori præstito, antequam recipiantur, singuli stipulata manu sanctè promittunto.

**H**As leges Alumnorum mensę communis, Anno exeunte clo. Io. cxix. unanimi omnium Professorum consensu recognitas esse & approbatas, singuli propriae manus subscriptione testatur.

D. JOHANNES BERGIUS p. t. RECTOR.

CHRISTOPHORUS PELARGUS D.

GREGORIUS FRANCUS D.

WOLFGANGUS CRELLIUS D.

MATTHÆUS CUNO D.

MARTINUS BENCKENDORFF D.

MAXIMILIANUS STRASSIUS D.

MATTHIAS POLENIUS D.

MATTHÆUS COLDEBACIUS D.

FRANCISCUS OMICHIUS D.

LAURENTIUS HELANDUS D.

GOTHOFREDUS WEIDNERUS D.

SAMUEL SCHARLACH D.

VALENTIN ARITHMÆUS D.

M. THEODORUS EBERTUS p. t. Decanus,

M. JOHANNES SCHOSSERUS,

M. DAVID ORIGANUS,

M. CHRISTOPHORUS NEANDER,

M. TOBIAS MAGIRUS,

M. GEORGIUS NEANDER.

Nos itaq; audita de super Consiliariorum nostrorum  
rum



rum secretioris consilii sententiã nec non Ipsimet quoque animadvertentes, hisce statutis nihil aliud quãri, quã ut Alumnorum nostrorum haut ferenda licentia, qua plerosque eorum imbutos hactenus fuisse, haut absq; ingenti dolore percepimus, compesceretur, inque justum convenientemq; ordinem redigeretur, petitioni huic Senatus Academici facilè locum concessimus. Benè enim memores eramus, à sapientibus semper ita existimatum esse: longè plus hunc deficere quã proficere: qui bonam quidem studiis artium liberalium operam navat: Cum interim eorũ morũ sit, qui nõ possunt bonis omnibus nõ displicere. Quapropter jure superioritatis, quæ nobis tũ super provinciam, tũ super Academiam, competit: Nostro, nec non heredum & successorum, futurorũ scilicet Marchionum Electorumque Brandenburgicorum nomine, superius posita statuta rata habemus, corroboramus, & omni quo fieri potest vel debet meliori modo cõfirmamus, mandantes præcipientesque seriò ut omnes qui mensa publica uti fruique vel nunc vel imposte- rum voluerint, mores vitæque suæ actiones ita componant, veluti in hisce statutis præscriptum est. Quod si hæc transgressi fuerint, pœnas in iisdem

dem expressas confestim subeant, quas inconcus-  
sè, quicunq̃ue pro tempore Rectoratui præerunt,  
unà cum officio Academico reliquo, sine omni  
personarum respectu, sineque omni earundem e-  
mollitione exactissimè exequentur, nisi ipsimet  
magis in indignationem nostram incurrere vo-  
luerint. In cuius rei fidem sigillum nostrum, quo  
uti in ejuscemodi confirmationibus solemus, ap-  
pendi iussimus, effecimusque itidem, ut per Illu-  
strissimum Principem primogenitum nostrum,  
Dominum GEORGIUM WILHELMUM  
Marchionem Brandenburgicum, Prussiae, Juliae,  
Cliviae, Montium, &c. Ducem, &c. subscriberen-  
tur. Dabatur Coloniae ad Sream, ad diem duode-  
cimum Calendarum Januariarum, anni Christi  
jam elabentis, cIo, Io. CXIX.

Georgiu-Wilhelmus  
Marchio Brandeburgensis.

*Ja 666*

ULB Halle 3  
002 177 021




*5b-700*

*Von 7*

*MC*







ES  
UNIS  
Æ  
EMIA  
TANA  
um  
Electoris  
i, &c.  
A T Æ  
ACADEMIÆ  
TONATO  
XX.  
ARTMANNI.

2.  
7

